Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars prima - Cod. Aug. perg. 22

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Capitulum XVIII

urn:nbn:de:bsz:31-41594

Visual Library

Beatissime Johannes baptista Verbi
dei precursor cristi et virgo sanc
tissime qui penitenciam peccatoribus
verbo predicasti et eam in tuis illo omnibus ex
emplo demonstrasti scilicet austeram in
victu et vestitu vitam ducendo et te a mun
di illecebris elongando obsecro te obtine p
me tuis sanctis precibus vt donet michi
dominus congruentem abstinenciam cibi
et potus cogitacionis locucionis operis custo
diat me ab omni pollucione mentis et corporis
concedat quoque michi quam diu in hac vita
temporali subsisto segregari a viciis ac
militari sibi et ita dignos fructus peni
tencie facere vt valeam omnium peccatorum meorum
veniam consequi et ad vitam eternam per
venire amen.

Quod iohannes non presumpcione sed a deo missus venit ad publicum xxiiii capitulum

Quod autem Johannes offi
cium baptismi non propria
auctoritate usurpauerit sed
ad testificandum christi ma
nifestatem missus testatur iohannes evan
gelista dicens Fuit homo missus a deo
cui nomen erat Johannes. Et Lucas evan
gelista dixerat factum est verbum domini
super Johannem Zacharie filium in deserto
quod hoc significet Johannes hic declarat
cum dicat Fuit homo i. verus homo
secundum veritatem nature et racionis missus a
deo scilicet de deserto ad baptizandum ad tes
timonium perhibendum de cristo vbi
obediencie fructus virtutis in Johanne co
mendatur non enim a semetipso id est
sua presumpcione venit sed a deo missus
cui nomen erat Johannes et conuenit
hoc nomen rei. Johannes enim dicitur
in quo est gracia et ideo fuit ydoneus
ad precurrendum ante illum qui est auc
tor gracie. hic venit in testimonium
scilicet vt testimonium perhiberet de luce
christo vt per illum i. per eius testimonium
omnes crederent in cristum. Et nota quod e
wangelista quandoque mutat sic nomen verbi
nunc enim appellat lucem nunc lumen.
et hoc ideo quia lux dicat claritatem in pu
ritate sua sine alterius nature admixtione
sed lumen dicat claritatem cum alia re quali
ta sicut claritas aeris non est lux sed lumen.
Et quoniam Johannes missus fuit vt testi
monium perhiberet de cristo in quo est
vnio nature cum verbo ideo dicit evangelista
eum perhibere testimonium de lumine.
Et quia iudei estimauerunt de Johanne ne for
te ille esset cristus ideo eorum falsam o
pinionem remouet evangelista dicens Non e
rat ille lux scilicet vera per essenciam et
ex se naturaliter lucens et ad illuminandum
alios lucem gracie per se fundens sed lux
per participacionem et a luce vera illa que
lucem habitat inaccessibilem illuminatus
vt de ea luce vera et sole iusticie scilicet
verbo quod est substancia patris lux quod in quo
tenebre non sunt ville testimonium perhibet
Johannes quidem et sancti non sunt lux
illuminans effectiue [a] que est lux per essenciam
et sic solus deus est lux illuminans Est
et lux illuminans dispositiue quod est lux per
participacionem et sic sancti sunt lux quia il
luminant verbo et exemplo. Ipsa autem
lux de qua testimonium perhibebat e
rat ab eterno lux vera sine falsitate sine
vmbra et sine participacione sed lux per
essenciam que illuminat lumine gracie
omnem hominem venientem in hunc mun
dum tenebrosum et quemlibet vere il
luminandum quia secundum augustinum
nullus est de omnibus qui illuminantur
qui non per hanc lucem illuminetur vel
secundum Crisostomum illuminat omnem hominem
quantum in se et ad eum pertinet quia
si aliqui non sunt illuminati hoc ideo est quia
se subtrahunt ab influencia huius lucis
Si enim quidem mentis sue oculos clau

[a] sed lux illuminata a prima luce. Est enim lux illuminans effectiue que est lux per essenciam

dentes nolunt suscipere lucis huius radios non lucis a natura. obtenebracio est illis pro malicia eorum. que huic illuminacioni obicem ponit. et a luce se avertentes volu(n)tarie se ipsos gracie dono privant. Et ideo inexcusabilis est homo si se ad graciam recipiendam non preparat. Et quidem verbum et lux illa i(d est) sapiencia dei per quam factus est mundus idest universitas rerum et omnis creatura in mundo erat ab ipso saltem mundi exordio sicut causa in effectu et ars omnipotentis dei per quam omnia sunt facta in facto idest in universa creatura lucebat racione creandi et gubernandi eas. Deus enim est presens ubique per potenciam quia eius virtus ad omnia se extendit sicut est Rex in toto regno. et per presenciam. quia omnia nuda et aperta sunt oculis eius sicut est rex in aula sua quia omnia que sunt ibi patent eius aspectui. et per essenciam. quia non solum dat rebus esse sed intimus rebus creatis eas conservat eas in esse. quod non facit nisi per se ipsum ubique per essenciam principaliter existentem. sicut Rex in loco suo determinato cui corpus suum est proporcionatum. Mundus inquam per ipsum factus est sua bonitate ut essent quibus suam graciam impertiret. Et mundus i(d est) homo mundum inhabitans eundem nondum cognovit et ideo necessarium erat quod ipse creator per carnem in mundum veniret ut per se ipsum cognosceretur. Vel mundus idest mundani et mundi amatores eum non cognoverunt. quia mundane impressiones in cordibus talium impediunt a cognicione divinorum. Sui autem dei amici erant eum eciam ante corporale presenciam cognoverunt. Et adeo licet esset in mundo sicut deus universaliter est in rebus creatis. hoc tamen non suffi(ci)at ut cognosci posset a rudibus. et in

dens. Qua propter ut ad sensum ab omnibus videri posset carnem induit et sic per incarnacionem seu carnis assumpcionem in sua venit scilicet in mundum quod sunt sua propria sicut creatura sua quem ipse fecerat per quem facta sunt omnia quia in mundo apparuit per humanitatem quem fecerat per divinitatem. Et specialiter venit in iudea que dicebatur terra dei et ad iudeos de quibus mundus fuerat. quos prae ceteris in populum peculiarem sibi elegerat quia semen abrahe apprehendit. dum exivit a patre et venit in mundum carnem assumens. In mundo erat per divinitatem sed in mundo venit per humanitatem. Venire quippe vel abire est humanitatis. sed manere deitatis divinitatis. Unde sensus est venit idest visibiliter apparuit. Et venit non propter se sed propter nos. Et hoc bene innuit ewangelista. quia enim non cognoscebat mundus sublimitatem divinitatis apparuit in humilitate humanitatis. Et sui eum per fidem et approbacionem non receperunt. idest homines quos ad ymaginem et similitudinem suam fecerit magna ex parte in eum credere noluerunt vel sui. idest iudei. eum per fidem et caritatem non receperunt. idest quam plures ex eis qui eum negaverunt. Sic et hodie clerici. qui respectu omnium christianorum in gregem propriae sunt sui. quia de sorte dei sunt pro magna parte eum non recipiunt. sed pravis suis moribus magis quam laici eum abiciunt. Moraliter. deus omnia propria venit quia venit in mentes hominum qui se totos deo dedicaverunt et se ipsos abnegantes deo se totaliter propriaos fecerunt. ut iam non sibi. sed deo vivant. et sui eum non receperunt. idest illi qui sunt sui amatores querentes que sua sunt. non que dei tales enim eum non recipiunt. nec venit ad tales mentes. Et sic volens deum in se

venire · oportet quod sit filius dei · Verbum · ver-
cius proprium est quod est filius · non venit in secundo
in propria · verum eos qui sunt filii dei · qui credunt in
nomine eius · quia nomen proprium est filius · Ali-
bique tamen de suis et pauci comparative
receperunt eum per fidem · caritate informata ·
filium dei a patre missum · verum deum
ac hominem credentes et confitentes · sibique
per caritatem inherentes · Sed quid eis pro-
fuit · quod eum receperunt · multum quippe
profuit eis quia sequitur · quotquot absque dis-
tinctione status aut condicionis · sexus
aut etatis · et sine distinctione personarum
receperunt eum per fidem · dedit eis potesta-
tem filios dei fieri · scilicet adoptivos
per regeneracionem baptismi et graciam ad-
opcionis · hiis qui credunt in nomine
eius · id est in re vel veritate nominis · quod est Cristus
deus ungens et homo unctus · Nomen quoque
eius est emanuel · id est nobiscum deus · et ideo
ille credit in nomine eius qui credit eum
deum et hominem · et hoc est filius dei ·
Unde Johannes · omnis qui credit · quoniam ipse
est filius dei · ex deo natus est · Et notandum
quod non dicat fecit eos filios dei · sed ait dedit
eis potestatem filios dei fieri · Et hoc significatur
secundum Crisostomum · primo ad ostendendum
quod multo studio opus sit · ut ymaginem
filiacionis dei in baptismo formatam · incon-
taminatam semper custodiamus · Secundo
ad significandum quod hanc potestatem ·
nullus nobis auferre poterit nisi nos
ipsi auferamus · Tercio ad ostendendum · quod
hec gracia non datur nisi volentibus · et
studentibus · ita quod hoc est in operacione
gracie · et in potestate liberi arbitrii · Nam
hoc quidem est dei · scilicet dare graciam
illud autem hominis scilicet prebere fidem
Potestas ergo filios dei fieri non datur
nisi profitentibus fidem cristi per se si sit
adulti · vel per alium · si sint parvuli
Per filium enim naturalem · et per

et per credulitatem in eum · huiusmodi fi-
liacio acquiritur non per carnis propagacionem
Iste quantus fructus adventus filii dei · quia
ex hoc homo fit filius dei per adopcionis
graciam · quod ipse est per naturam · Et hic est
magnus fructus · quia ut dicit apostolus · si fi-
lii dei et heredes · heredes quidem dei · cohe-
redes autem cristi · Ubi largita misericordia
dei ostenditur · quando qui servi non fue-
runt digni eciam filii dei sint et nominentur
Unde Augustinus · Magna benivolencia
unicus natus est · et noluit manere unus ·
non timuit coheredes habere · quia hereditas
eius non fit angustior / si multi possederint
Et ne quis putaret · hanc nativitatem car-
nalem esse et non spiritualem subiungit e
quantum modum · qua assequamur istam fi-
liacionem dicens · Qui non ex sanguinibus
· i · ex materia seminum patris et matris
pluraliter enim secundum grecos dicendo
ex sanguinibus viri pariter et femine · mixti-
onem ostendit · quod eciam exponendo sub-
dit · neque ex voluntate · idest concupiscencia
et delectacione carnis idest mulieris · quia
enim caro minus fortitudinis habet et ab ossibus
sustentatur ideo per eam
sexus infirmior designatur · neque ex voluntate
i · concupiscencia et delectacione viri · sed ex
deo nati sunt per baptismi sacramentum
et spiritualem generacionem · et filii ad-
opcionis sunt facti · quia non fit per modum
carnalis generacionis · sed spiritualis in-
quantum homines a deo recipientes graciam
trahuntur quodammodo ad naturam divinam · et
per donum gracie efficiuntur consortes divine
nature · Moraliter hinc collige · quod nichil hu-
manum · et per consequens nichil mundanum
neque creatum / debet se ingerere in nobis /
ut non ex illo · sed ex solo deo nati simus
Deinde ostendit et manifestat modum quo
verbum venit in mundum · quia non venit
locali adventu · et ubi prius non erat

sed quia de novo m[odo] ibi esse incepit · sicut rex
q[ui] prius est in aliqua civitate per solam suam
potenciam · quando venit illuc personaliter
incipit ibi esse / novo m[odo] · scilicet per suam presenciam
sic dei filius q[ui] erat prius in mundo ibi novo modo se
humiliando se · per carnis et nostre infir-
mitatis assumptionem · ut filii adoptivi ef-
ficimur / per filium naturalem · Et hoc est
quod dicitur Et verbum caro factum est
idest carnem unitum est seu carnem assumpsit
hoc est hominem assumptum / in unam
personam sibi copulavit · Caro enim hic
dicitur homo accipiendo synodochice partem
pro toto · ac si diceret · factum est caro · i · ho-
[mo] factum est utique verbum caro / non quod ver-
bum mutaretur in carnem · sed quia carne
anima rationali animatam suscipiendo ex
divinitate et humanitate una persona
facta est ut sint due nature in una perso[na]
inconfusibiliter integre et indistincte co-
mite · non una in aliam conversa · sed
ambe in una persona deus et homo · Na-
tura ergo humana assumpta est a verbo
non in unitate nature · sed in unitate
suppositi vel persone · et ideo sensus est
Verbum caro factum est · ac si diceretur
deus homo factus est · Unde augustinus
filius hominis habet animam · habet
corpus filius dei · quod est verbum dei ·
habet hominem · tamquam anima corpus · Sicut
anima habet corpus non facit duas per-
sonas / sed unum hominem · sic verbum habens
hominem non facit duas personas · sed
unum cristum · Quid est homo · anima
racionalis habens corpus · Quid est cristus
Verbum dei habens hominem · Hec
augustinus · Perfectam ergo in se naturam ho-
minis dominus demonstravit · quia to-
tum hominem salvare venit · Unde cris[ostomus]
Nam quia iam dudum propter peccatum
homo totus · sentenciam mortis meruerat
et in corpore et in anima · necessario

dominus utrumque suscepit · ut utrumque
salvaret · hoc cris[ostomus] ~~Nam quia iam dudum
propter peccatum~~ · Voluit autem evangelista no-
minare totum · ut ostenderet singularem
et maximam amorem verbi ad hominem ·
que tanta est ut non solum verbum sit
homo et homo verbum · sed eciam singulis
partibus hominis · scilicet carne et anima
verbum est magis parcium et quelibet
pars est verbum · Et licet anima sit no-
bilior et prestancior carne nominat tamen
carnem magis quam animam quia ut
magis nos certificaret · ideo partem in-
digniorem expressit · de qua magis dubitari
poterat quod verbum ipsam assumpserit ·
Moraliter autem maluit dicere caro quam
anima · ad commendandum mirabilem
condescensum benignitatis et humilitatis
dei · unde partem viliorem nominavit
In quo superbiam multorum increpat · qui
requisiti de conversacione sua · respondent nomi-
nando · aliquem tenentem statum dignitatis ec-
clesiasticum vel mundanum · dicentes se esse nepotes
talis episcopi · prepositi vel decani · aut huiusmodi
et tacent de parentibus et aliis qui magis
sunt propinqui · Exemplum ad hoc fabulosum
narratur · de mulo qui requisitus quis esset
pater eius · Et sic verbum habitavit in
nobis · id est in nostra natura inseparabiliter
ut amplius nullatenus ab ea disiungeretur
Non est intelligendum · quod habitavit in nobis ·
quasi in unitate suppositi · in quolibet nostrum
sicut in cristo · sed intelligendum in unitate
nature humane · quam eandem nobiscum
habuit / cum qua mansionem perpetuam iniit
Vel habitavit in nobis · i · inter nos in
mundo · secundum illud Baruch · in terris
visus est · et cum hominibus conversatus
est · Moraliter et potest eciam intelligi de
inhabitacione mentali qua deus mentem
inhabitat per graciam · Et hoc verbi
inhabitacio mentalis · bene sequitur

[Margin, left column:] quando nova presencia incepit ibi esse
[Margin, right column:] respondit quod dextrarius esset eius avunculus · tacens et erubescens quod asinus esset pater eius

eius inhabitacionem carnalem · qua vi
delicet factum est caro · sicut effectus post
suam causam · Ecce enim quod verbum est
incarnatum provenit nobis illud bonum ·
et quidem verbum nobis inhabitat menta
liter · Et vidimus gloriam eius · i · cogno
vimus maiestatem gloriosam divinitatis
quasi · i · vere unigeniti a patre · unius et eius
dem cum eo nature · Vide accipitur provi
sione corporali · et pro cognicione intellegi
bili · et utroque modo videndi · habuit Iohannes
et alii apostoli noticiam verbi incarnati
quia cum ipso fuerunt corporaliter conver
sati · et sic viderunt sensibiliter opera virtu
tem totius creature excedencia · ex quibus
visum mentis perceperunt · et intellexerunt di
vinitatis eius excellenciam in carne laten
tem · quam pro infirmitate carnis visibilis
superbi videre noluerunt · Gloriam ergo verbi
cognoverunt discipuli in sapiencia doctri
ne · et quia erat docens · sicut potestatem
habens · et quia auctoritate loquens · similiter in
miraculorum opere · et quia creature o
bediebant ei ad nutum sicut domino et
creatori · nec non in transfiguracione · in pas
sione · in resurrectione · in ascensione · et in spiritus
sancti missione · Propter quod ~~subdit~~ dicitur Et
vidimus gloriam eius · subdit quasi exponendo
hanc gloriam · quasi unigeniti a patre · i ·
non per adopcionem · sed revera unigeniti per
naturam · et naturaliter ab eo procedentis
et per consequens eandem naturam mo
cum ipso habentis · Et attende quod ly quasi
non ponitur hic ad significandum simili
tudinem filiacionis divine · quia illa est hic
expressivum similitudinis vel comparacionis
sed veritatis et expressionis · Ac si dicat
secundum Crisostomum · Vidimus gloriam · qualem
decebat et conveniens est habere unigenitum
filium · Et est modus loquendi secundum
eundem · sicut si aliquis vidisset regem ·
valde ornatum · et in multiplici gloria

incedentem · et incipiens de hoc aliis enar
rare · nec valens totum apparatum · et or
natus claritatem enarrare · diceret aliis sic
Quid oportet multa dicere · qualiter rex ibat · i ·
sicut decebat regem · Ita et hic evangelista
cum non posset simul brevi sermone omnia
que de gloria verbi cognoverat enarrare
puta quomodo angeli ipsum glorificaverunt
ut sicut pastores · magi adducti per stella
demones de corporibus expulsi · mortui
suscitati · infirmi curati · et alia iam
supramemorata · Et breviter omnis creatura
cognovit et clamavit regem celorum
advenisse · immo et pater de celis · et spiritus
sanctus super ipsum veniens · hec testati sunt ·
hec et infinita alia gloriam verbi attesta
cia · breviter comprehendens Iohannes dicit
Et vidimus gloriam eius quasi unigeni
ti a patre · i · talem qualem decet unigenitum
dei · Est ergo filius dei | iuxta divinitatis
excellenciam · unigenitus a patre · iuxta formam
vero pietatem · primogenitus in gracia ·
Inde est quod frater nuncupatur · et dominus
frater · quia primogenitus · dominus quia
unigenitus · Cognicio autem verbi incar
nati quam habuerunt apostoli · et credentes
fuit quantum ad utramque naturam · scilicet di
vinam et humanam · quantum ergo ad divina
dicit Et vidimus gloriam eius gloriam quasi
unigeniti a patre · sed quantum ad humana
subiungit · et vidimus eum plenum gracie · idest
carismatibus · quia omnia dona spiritus
sancti absque mensura recepit · et veritatis
quia promissa adimplevit · Et dicitur plenum
gracie · exhauriendam · et pleni veritate
adimplenda promissa · Et vere plenum quia
in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis
corporaliter · Et notandum quod istud evangelium
cum sit altissime intelligencie · et contineat
profundissima misteria · et precipue verbi
verbum caro factum est · cuius misterium no
dum explicare | ille sanctissimus Iohannes

se sateatur indignum · non dubium · quin verba
sint magne efficacie · unde consuetudo lau
dabilis est · quod in fine misse istud evangelium
legitur · de cuius evangelii efficacia · breviter
narro quedam exempla · In aquitania fuerunt
duo demoniaci · ambo mendici · Et videns
unus quod alteri plus daretur · clam cum sa
cerdote dixit · si feceris id quod tibi dixero scilicet
quod illud evangelium In principio erat verbum ·
legeris in aure socii mei · me tamen non
audiente · procerto fugabitur demon ab ipso
Intelligens autem sacerdos versutiam de
monis · alte illud evangelium legit · Et
cum diceret · verbum caro factum est · statim
demones evolaverunt · et ambo liberati sunt
Item narratur dyabolus dixisse cuidam san
cto homini · quoddam verbum evangelii
valde tremebundum demonibus quo inter
rogante quod esset illud verbum · noluit
dicere · Qui autem ille cum produceret in
medium plures auctores · dyabolus induit
ad singula non esse illud · Tandem inter
rogatus an esset illud · Et verbum caro
factum est · non respondit · sed cum clamore
disparuit · Item cuidam abbati apparuit
dyabolus in forma mulieris pulchre · al
liciens eum ad concubitum · cum soli essent
in quodam viridario · et advertens abbas
maliciam dyaboli · signavit se dicens · verbum
caro factum est · et habitavit in
nobis · et mox demon cum magno strepitu
disparuit · Item legitur de quodam monacho ·
qui cum audiens legi istud evangelium
In principio erat verbum · et perveniens ad
verbum caro factum est · non genu flecteret
nec aliquam reverenciam faceret · dyabolus
ei alapam dedit dicens · Si legeretur verbum
demon factum est · nos numquam genu
flectere cessaremus · Experimento patet · quod
vidimus eum plenum gracie et veritatis
quia de plenitudine eius nos omnes acce
pimus et graciam pro gracia · Crisostomus dicit

etiam nos omnes xij · et omnis plebs fi
delium · et qui nunc sunt · et futurorum de ple
nitudine eius accepimus · et ideo plenum
fuisse dicere possumus · Ubi sciendum · quod genera
liter triplex distinguitur plenitudo · una est univer
sitatis · sive numerositatis et copie · que ge
neraliter secundum diversas personas
est in ecclesia · cui nullum donum deest · Alia
est sufficiencie que fuit in stephano · et in aliis
sanctis et est in singulis iustis · unoquoque
pro sua capacitate · Tercia est prerogative
sive habundancie · que fuit in beata vir
gine que omnes sanctos excedat in donis
gracie · unde sicut in sole deus posuit
virtutes omnium siderum · ita et in maria ·
virtutes omnium sanctorum · Gracia non suf
ficit ei habere cum aliis plenitudinem suf
ficiencie nisi habeat eam cum prerogativa
singulari · et in tanta habundancia · quod possit
super effluere · et redundare super peccatores
cuius tamen gracie auctor est cristus · Quarta
est plenitudo consumacionis sive excellencie ·
et super effluencie · que fuit in cristo · et
de qua dicit hic Iohannes · Non solum
enim habuit plenitudinem in aliis re
spectum · sed eciam in alios redundantem
quia de hac plenitudine donorum quasi fluit
omnes nos electi · tamquam huius capitis membra
quasi per partes rivulos · quosdam super
merita nostra accepimus scilicet graciam
pro gracia · Gracia reconciliacionis et
salutis pro gracia fidei qua in eum credimus gratiam vite eterne pro gracia preveniente et iustificante
remuneracionis · pro gracia meriti · dedit gratiam remunerantem · etc.
enim nobis graciam ut per eam gloriam
consequamur · que est gracia consumata
Et breviter quod quid de gracia additur gracie pre
venienti · totum est gracia pro gracia ·
Unde est illud · Ideo quod habes meriti fuerit
tue gracia donat · nil deus in nobis
preter sua dona coronat · Unde augustinus
etiam graciam primo accepimus · fides
vocatur enim gracia · quia gratis datur

Hanc ergo accepit gratiam primam petrus
vt eius peccata dimitteret. Et iterum gratiam
pro gratia .i. pro hac gratia in qua ex fide
viuimus. accepturi sumus aliam .i. vitam
eternam. Vita enim etiam quasi merces est
fidei. sed quia ipsa fides gratia est vita eterna
gratia est pro gratia. Et quia vt dictum est
de plenitudine eius omnes gratiam accepimus
in fonte autem pleno vas accipere potest
tantum quantum potest. secundum sua capa
citatem et si parum accipiat non est defectus
fontis sed vasis. sic in christo qui est fons vite
plenus. nos gratiam recepimus secundum
cordium nostrorum capacitatem. Sed videmus
quod plus capit vas bassum et latum quam vas
altum et strictum. sic cor bassum per hu
militatem et latum per caritatem plus re
cipit et magis est capax gratie quam cor altum
per superbiam et strictum per auariciam
Vnde ex parte dantis non est defectus sed
ex parte nostra est defectus si non accipi
mus per humilitatem et dilectionem quan
tum possumus. Vnde ysidorus Nullo magis
dei et hominum gratiam meretur homo quam
si humiles quoque sumus caritatis et studeamus. Vt
ait dominus augustinus non erat ista gratia in veteri
testamento quia lex minabatur non opitulabatur. iube
bat non sanabat. languorem ostendebat
non auferebat. sed preparabat medico ven
turo cum gratia et veritate. et ideo mo
dum acceptionis gratie determinans sub
iungit. Quia lex per moysen data est
que est annunciatio salutis. gratia quam
dat in virtutibus et donis et sacramentis
et quod sit salus hominum. et veritas im
pletionis figurarum et promissionum per ihe
sum saluatorem christum vnctum spiritu sancto
facta est in se per se sufficienter. Vnde augustinus
mortem in temporalem et eternam occi
dit mors domini tui. Ipsa est gratia quam promis
sa nondum data erat in lege. Et christus. Et veritas
que in nouo testamento perficienda erat in veteri testamento figurabatur.

prescripserunt. quas christus veniens adimple
uit. vnde figura data est per moysen veri
tas per christum facta est. Qualiter autem hec
gratia et veritas facta est. ostenditur cum sub
ditur. Deum vt est nemo .i. nulla creatura
vidit vmquam visione comprehensionis. quia
vt dicit Crisostomus nec angeli nec ipsa superplena
essentiam dei viderunt. vel deum nemo scilicet
mortalium vidit vmquam. Vnde Gregorius
Quamdiu hic mortaliter viuitur. videri per quas
dam ymagines deus potest. sed per ipsam
nature sue speciem non potest vt anima
gratia spiritus afflata per figuras quas
dam deum videat. sed ad ipsam vim eius
essentie non pertingat. Si vero a quibusdam
potest in hac corruptibili carne viuentibus
eterna claritas dei videri hoc ab hac similitudine
non abhorret. quoniam quisquis sapientiam
que deus est videt huic vite funditus
moritur ne iam eius amore teneatur
Et augustinus nisi enim ab hac vita quis
quodammodo moriatur non in illam
rapitur. et subuehitur visionem. Et sub
ditur de eo a quo comprehendit. Vnigeni
tus scilicet filius qui est et manet in si
nu .i. in intimis secretis patris eternum
dei quod secundum Crisostomum signat fami
liaritatem et coeternitatem eius ad patrem.
ipse enarrauit fidelibus quod vidit
quia eos de secretis diuinitatis docuit
vt de misterio trinitatis et de multis a
liis que non fuerunt ita explicate tradita
in lege et prophetis. sicut christus exempli
ficauit. sicque eos in fide et gratia fidei
fundauit. ac viam salutis omnibus homini
bus ostendit et in se aperuit. Vnde Be
da homo factus enarrauit quod de tri
nitatis vnitate sentiendum. qualiter ad eius
contemplationem properandum quibus actibus sit per
Omnipotens ihesu christe Oro veniendum
te fili dei viui qui es lux vera
illuminans omnem hominem.

venientem in hunc mundum. ego miser tenebris densis obsitus adoro. deprecans misericordiam tuam. ut animam meam illumines. mentem informes. cogitationes disponas. sensus componas. sermones et actus dirigas. quatinus iniquitatis auctor et tenebrarum amator nonamen subripiat nec in me signum suum reperiat. sed veri sole lucis fulgore perfusus procul a me recedat. ut per claram et arctam semitam ad te lucis auctorem tendens ad tuam gloriam perveniam sempiternam. Amen. De iohanne

confessus est se non esse christum sed eius precursorem et

Omnibus autem existimantibus et cogitantibus in corde suo de iohanne ne forte esset christus in lege promissus. tum propter mirabilem eius conceptum et ortum. tum propter sancte vite eius meritum. tum propter doctrine eius prudentiam efficatiam. tum propter baptismi novitatem. pharisei audita opinione quam turba habebat de iohanne. moti contra eum quod sibi baptizandi officium preter ordinem legis et traditionem eorum assumpsisset indebite et dubitantes in messias esset. miserunt ab iherosolimis ad iohannem de stirpe sacerdotali existentem. sacerdotes et levitas in lege sapientes ut interrogarent eum quis esset. et quare baptizaret. Sapientes tamen et scribe sciebant eum non esse christum. quia christus promissus fuit ex tribu iuda. Interrogatus ergo quis esset. confessus est veritatem. et non negavit. hoc enim esset negare ipsum christum. qui est ipsa veritas. Unde sequitur. Et confessus est. quia non ego sum christus. In quo magis ad mentem et intentionem querentium. quam ad verba et questionem audit. ad hoc querebant quis esset. ut responderet eis. si esset christus an non. Unde licet expresse non quererent an ipse esset christus. hoc tamen secundum Lucam intendebant in corde. ut patet ex iohannis responsione. Confessus est se non esse quod non erat. non negavit se esse quod erat. Confessus est se non esse christum. quod opinio vulgi publica habebant et non negavit se esse christi precursorem. quod erat. Confessus est se non esse iudicem. non se negavit iudicis preconem. Confessus est se non esse ecclesie sponsum. non se negavit sponsi amicum. Confessus est se non esse verbum. non se negavit esse vocem. Elegit solide subsistere in se. ne humana opinione manus arriperet super se. Magis enim voluit infirmitatem suam humiliter recognoscendo inter membra christi numerari quam eius nomen immerito usurpando ab ipso christi corpore abscidi. Hic ergo nobis Iohannis humilitas. qua nichil maius est. quod cum tante virtutis esset et auctoritatis apud iudeos. ut eum crederent christum non est tamen elevatus in superbiam usurpans nomen et honorem alienum. Ut enim ait Crisostomus devota famuli est non solum non rapere gloriam domini. sed et oblatam a multis respuere. Sed hanc iohannis humilitatem lucifer non habuit quod gloriam divinitatis usurpare sibi voluit. hanc etiam humilitatem primi parentes non habuerunt quod divine sapientie similitudinem sibi usurpare voluerunt. hanc etiam humilitatem primi parentes non habuerunt quod divine sapientie similitudinem sibi usurpare voluerunt. hanc etiam humilitatem ille malignus non habebit qui se extollens divinum sibi honorem usurpabit. Et adhuc hodie quidam imitantur luciferum. ut tyranni qui premendo violenter presunt et ambitiosi qui se extollendo nequiter superioritatem querunt. Quidam imitantur prothoplaustum. ut homines heretici et mundane sapientie qui volunt plus sapere quam oportet sapere. Quidam vero qui

iohannes fuit ex tribu levi. Iohanni in loco sanctificato movet questiones quis sit. ... nota iiii^{or} questiones cuilibet de se movendas. ... Prima ergo questio est quis sis in natura. ... ut humilieris quia superbia es ... ut sursum conversus es ... Tu quis es. ... Secunda questio est quis sis in persona ... Domine domine aperi nobis. Et forte respondebit ... Amen dico vobis nescio vos. Tertia questio est qualis es ... Quarta questio est quantus sis ... ut sciat an possis per angustam portam intrare ad vitam ... Interrogatus ergo quis esset etc.